

aut in linea cenith capítum nostrorum apparuerint. 13

Mutatur regna & dominia fides sectarum ac opiniones hominum, dum mutantur auges planetarum de signo in signum dico illarum gentium, quarum significator erit planeta augis permutatae. Mutatioque erit ad bonum uel ad malum secundum naturam significatorum coniunctionum superiorum illorum temporum & secundum naturam signi mutationis. 14

Durations effectuum prophetarum erunt secundum annorum maximorum illorum significata. Si fortes extiterint in natiuitatibus eorum miscendo datum domini domus & domini exaltationis una. Si debiles uero quamuis illi boni essent, tamen tempus breue designat permanere leges & dicta eorum. 15

Nunquam erit propheta fidelis nec pontifex, siue dux ecclesiarum, qui Saturnum retrogradum habuerit in nona uel in ascendente, quanquam omnes formae bonorum essent in significatoribus caeteris tam in secundis quam in erraticis stellis, nec credendum est uerbis eorum, sed fugiendi sunt. Magna res est retrogradatio infortunarum, peiorque extra domum suam, Pessimaque in loco in quo nullam habet dignitatem existentium in istis duobus locis. 16

Vehemens in deum trahit caput in cuspide hemisperii, magisque dum dispositor loci fortis ex dignitate & angulo extiterit, maximeque quando Iupiter cum ipso erit parua latitudine & in domibus suis, siue exaltatione sua, sancti sunt & annexi uirtute specifica deo ex uentribus matrum. Hoc idem facit in ascendente, sed non tanti nominis & gloriae. 17

Fœcunditas in prole designata ex dispositione quintae nulla aduersitate infortunarum ibi disponentium siue radiantium existente, & religio siue ducatus ecclesiasticorum raro, siue nunquam in uno subiecto assignandae sunt, si uero religio & honestus ducatus fuerint assignanda, transit uirtus prolis siue quintae in adoptiuos uelut pater multarum gentium & pater patriae. 18

Dico ego quod Mercurius in Ariete extra radios Solis, siue incombustus ibi Sole existente forti, fortisque Mercurio sine in